

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
LUE VENEREA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS HARRISON,
BRITANNUS,

Societatum Physicae et Chirurgo-Medicae Soc. Hon.

Sperate miseri, cavete felices.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXI.

Viro Illustrissimo

BELINGHAM GRAHAM,

BARONETTO,

De patria, cognatis, amicis,

Optime merenti,

Hanc Dissertationem Inauguralem

Ea, qua par est,

Observantia,

D. D. C_o.

A U C T O R.

Dr. Duncan with best wishes
from his Pupils & very hum-
bly the Author.

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

B E

L U E V E N E R E A.

HÆC pestis gravissima, qua nihil ullo seculo ab initio rerum usque foedius aut exitiosius mortalibus intulit ira divina, anno 1493, Hispaniae incolas primum coepit infestare, a Columbo sociisque ejus ex India Occidentali, recens reperta, ad Europam infeliciter apportata. Altero abhinc anno Italiam attigerat; namque stragem apud milites Gallicos, qui, Carolo octavo duce, Neapolim occupaverant, horrendam edidit, et ab iis domum reversis in omnem Galliam brevi fuit diffusa. Adeo celeriter progressa

†

A

est,

est, ut intra quadriennium, postquam in Hispania se ostenderat, universas fere Europae regiones peragraverit, tot hominum modum in miserandum millia rapiens, ut genus humanum extinctura esse videretur. Signa ejus formidolosissima, progressumque rapidum et funestum, ipsa medicina, unde mortales morbis gravioribus ante colluctantes vel auxilium acceperant vel speraverant, conspexit attonita, seque tanto malo occurrere non posse devicta, plane confessa est.

Ita cohoretur morborum, quae Europae ante incubuerat, magis numerosam reddendo, et hanc orbis terrarum partem cruciatis mille diris olim incognitis objiciendo, crudelitatem Hispanensem plus quam ferinam, camposque suos sanguine natorum longe lateque undantes, satis superque ulta esse videatur America. Namque minimi quidem facienda sunt commoda, quotquot a regionibus ejus opulentis repertis et exploratis possunt oriri, morbo tetroremo excitato, et valetudine commoda amissa comparata.

Multi,

Multi, et medici et alii, morbum venereum ex eo, quo in Europam primum infectus sit, tempore, multo minus gravem evasisse opinantur. Immo spem habent non parvam in mortales saevire tandem ex toto esse desitum. Spe vero, quod magnopere dolendum, inani se lactare videntur; morbus enim, si non ei per medicamenta idonea mature obsistitur, brevi admodum formidolosus fit, humores corruptit, solida consumit, summam pulchritudinem in deformitatem horrendam vertit, et, cum ad ultima ventum est, aegrotos miserabiles, ipsa morte graviora perpeffos, extinguit. Exempla hoc genus nonnulla vidi. Haec nostro seculo rarius videri confiteor, quod non gravitati luis sponte sua imminutae, sed huic tribuendum puto, quod morbus hodie plerumque non citius invadit, quam ad medicos, aut ad medicamenta quae in eum plurimum possunt, configitur; namque mercurii efficaciam ne ipsa quidem plebecula ignorat.

Alii,

Alii, qui quidem longe numerosiores, gonorrhoeam et syphilidem, utcunque forma inter se se differant, pro morbo uno eodemque habent; alii, contra, morbos ex toto diversos esse contendunt. Qui priorem in sententiam concedunt, ii modo sequente ratiocinantur. Cum et gonorrhœa et syphilis ab impuro coitu proficiscantur, cum idem utraque eodem tempore infici possit, cum morbo venereo laborans uni gonorrhœam, alteri syphilidem impertiatur, cumque denique gonorrhœa, via medendi parum idonea adhibita, in luem converti soleat, vix ambigi potest quin pro morbo eodem debeant haberi. Qui in posteriorem eunt, ii sequentia ad diversitatem morborum demonstrandam quam plurimum conferre existimant. Syphilis et gonorrhœa in Europam diverso tempore immigrarunt, et illa diu, antequam haec se ostendit, longe lateque graffata est. Quinetiam incolae Europæ luem venereum cum Sinensibus ante plurimos annos communicarunt; gonorrhœa vero nuperime tantum eos vexare
et inq

incepit.

incepit. Idem propemodum de insula, quae Otaheite appellatur, dici potest. Quanquam enim Angli vel Galli, vel, quod verisimilius, utrique, luem venereum, suae humanitatis et amoris pignus funestum, ibi reliquerunt; nulla tamen gonorrhoeae signa adhuc sunt orta. Syphilis neglecta, donec aegrotum occidat, semper ingravescit; gonorrhoea, contra, quidem increscit; brevi vero consistit, minuitur, tandemque ex toto decedit, curationem naturalem recipiens. Insuper, contagio syphilidis propria vulneri cuilibet admota syphilidem solam movet, nec aliam progeniem, quam gonorrhoeam, gonorrhoea habet. Praeterea, si syphilis et gonorrhoea, quod nonnunquam, uti omnes fatentur, incidit, in eodem conjungantur, illa sublata, haec manet, et spatium usitatum habet, uti Sydenhamius illustrissimus multique alii testantur. Porro, cum syphilis ulcuscula excitat, virus ex his profluens et urethrae applicatum gonorrhoeam non facit, nec materia in gonorrhoea ex urethra profusa, et ostiis vasorum glandis lymphaticorum patulis

6 DE LUE VENEREA.

patulis oblata, absorbetur et luem venereum progenerat. Mercurius denique syphilidem tollit, et nullum aliud, quod adhuc noverimus, eam depellere valet; in gonorrhoeam vero parum nihilve omnino posse videtur. Ex his omnibus, inquiunt, non sine causa gravi potest concludi, morbos inter se se ex toto differre.

Haec argumenta quidem primo aspectu speciosa esse videntur; multa vero, quae illis jure objici possint, non defunt. Quantum ad tempus, quo syphilis et gonorrhoea in Europam invectae esse dicuntur, diversum attinet, super hac re nihil hodie pro certo cognosci posse contendeo. Auctores, qui morbum venereum primi sunt executi, gonorrhoeam silentio praeterivisse ponas. Hoc eam partes mortalium genitales non exercuisse minime probat. Neminem enim latet, non paucos medicorum, quibus morbum venereum apud Europam primum videre acciderit, novitate signorum et gravitate obstupefactos et perterritos, portentosas fabellas potius, quam notas morbi fideliter depictas,

depictas, memoriae prodiisse. Nec aliud incidere potuit, hominibus notitiam signorum, causae morbi et curationis justam nondum sibi adeptis. Quod vero omnem super hac re dubitationem ex toto tollit, est hoc, quod syphilis, ut postea clare evidenterque demonstrabitur, non ullam regionem diu infestare potest, quin gonorrhoeam, nec gonorrhoea, quin syphilidem, movere periclitetur. Hoc igitur quoque de Sinenibus et incolis insulae, cui nomen Otaheite inditur, supra comprehensa convellit. Idem quoque pleraque ex reliquis, quae protulerunt, argumentis infirmat. Syphilidem neglectam quidem semper ingravescere; gonorrhoeam vero curationem naturalem recipere, confiteor. Caeterum nullam morborum diversitatem hoc indicat. In hac enim virus in urethram, glandulis mucosis ubique abundantem, receptum, protinus ei stimulo est, secretionemque adauctam movet, quam citius seriusve tandem expellitur, et sanitas corpori redit. Sed in illa per vascula absorbentia humores ingressum, et iis admis-
tum,

tum, e corpore nequit expelli, nisi ad mercurium decurritur, qui vel, universis secretionibus et excretionibus adaucta e syste- mate eluit, vel vi forsitan specifica extin- guit. Ita causae morborum nullum descri- men, quamvis exitus ob rationem modo po- sitam diversus. Quanquam materia gonor- rhoiae propria glandi interdum diu admo- vetur, et luem non movet; hinc tamen mi- nime cogi debet eam hoc praestare non pos- se. Namque, si erosio urethrae oriatur, ab sorberi potest, syphilidemque, ut omnes fatentur, progignere.

Uno in exemplo vascula lymphatica lo- cum erosionis inter et glandulas inguinales lateris dextri infimas manifeste turgere no- tavi. Quem tumorem bubo brevi est sub- secutus. Caeterum, illis in casibus, ubi ma- teria ex urethra profluens glandi longum per tempus applicatur luemque non facit, virus forsitan, quod saepe incidere videtur, sub initium morbi secretione adaucta expel- litur, quamvis secretio ipsa diu postea ma- net. Hanc materiam vero, licet secretione adaucta

adaucta non abluatur, luem non progignere, non est cur mireris, si tecum reputes unum ulcusculum alterum, et hoc tertium, &c. non facere solere. Denique, fuit asseveratum, mercurium syphilidi mederi, gonorrhoeam depellere non posse. Quisnam vero medicus, morbis conjunctis, illam mercurio, unquam sustulit, et hanc, quod incidere posse modo demonstravimus, luem postea excitare vidit? Igitur, virus utriusque morbi tollit mercurius, quamquam secretionem aductam gonorrhoeae propriam relinquit, quae in posterum ex toto innoxia, nihilque aliud quam stillicidium merum esse videtur. Hanc vero relinquere solere non est cur mireris, cum mercurius corpori vires convellat, et relaxationem urethrae et atoniam, unde haud dubie proficiscatur, evidenter adaugeat. Hactenus verba tantum verbis opposui. Nunc vero proximum est ut paucula proferam experimenta, omni ratiocinio longe potentiora, quae hanc litem dirimendi consilio nuper institui.

†

B

EXPER.

E X P E R. I.

Materia contagiosa ex ulcusculo profusa, postquam morbus breve manferat spatium, et antequam ulla adhibita fuerant medicamenta, in urethram immissa, gonorrhoeam virulentam progeneravit, quae progressum eundem et finem habuit, ac si modo vulgaris fuisse excitata. Hinc, quantum in errorem inciderint qui gonorrhoeam syphilidis propaginem non esse posse contendunt, plane appareat. Quinetiam non absque causa gravi hinc quoque debet concludi, virus utriusque morbi idem esse, et nulla ex parte differre. Admodum enim probabile est, virus syphilidis materiam sui ex toto similem eundem in modum progenerare, quo fermentum cuilibet substantiae, in qua fermentatio possit moveri, admotum, eam naturam in suam mutare confuevit.

E X P E R.

EXPER. II.

Materia, quae ex urethra gonorrhœa virulenta laborantis profluxerat, cuticulae sati profunde incisæ fuit insita. Pars, cui virus admotum, utpote quae maxime conveniret, fuit superficies praeputii interior. Ab ulla viri actione partes vicinae linteo sunt defensæ. Hoc in exemplo virus nullum omnino effectum edere visum; vulnus enim speciem ex toto communem præfese tulit, et tribus quatuorve diebus fuit fanaticum. Hoc experimentum, sed non cum successu prospere, frequenter reiteravi; nunquam enim ulcusculum venereum potui movere.

Hunc vero exitum, qui votis quidem minime respondit, huic causæ tribuendum puto, quod materiam ex urethra viri, qui dies decem duodecimve morbo laboraverat, profluentem linamento excepti, quo tempore forsitan virus ex toto fuerat expulsum, vel muco ita dilutum et debilitatum, ut juvenem;

nem, cui fuerit insitum, morbo nequiverit inficere. Quo tempore in his experimentis instituendis versatus sim, nullum primis morbi diebus virus potui comparare. Quod si adeptus fuisset, exemplo sequente aliisque similibus inductus, minime dubito quin syphilidem pro certo inovisset.

Vir quidam fidei plenus, quocum multum amicitiae et familiaritatis mihi intercedit, qui que medicinae multos per annos diligentissime studuit, Edinburgo discessit gonorrhoea virulenta laborans. Quodam yestere, vino et libidine perquam inflammatus, rem cum puella rustica infeliciter habuit. Duobus mensibus aut circiter elapsis, dolorem faucium miseranda conqueri coepit. His inspectis, ulcera tonsillarum gravia se evidenter ostenderunt, quae mercurii usu tuto et secreto fuerunt sublata. Nihil omnino cauae est, cur puellam alias viri, puri impurive, notitiam habuisse suspicetur. Impuri non potuit. Ibi etenim nemo, uti probe novit, praeter semetipsum, aut eo tempore, aut postea, morbo venereo colluctatus est.

Alterum insuper exemplum in praesentia novi, ubi gonorrhoea in luem manifestissime desiit. Multa quoque alia idem genus proferre non foret difficile; haec vero sufficiant.

Ex omnibus denique, quae supra fuse proposuerim, haud dubie debet concludi, gonorrhoeam et syphilidem pro uno eodemque morbo debere haberi, virus utriusque esse idem, et signa tantum pro loci diversitate, quem teneat, diversa movere.

Hanc ob causam, omnia morbum utrumque spectantia conjunctim, non separatim, exequi decrevi.

Aliud tantum, priusquam ad historiam venitur, experimentum liceat enarrare, quod utrum mercurius viro venereo adjunctus actionem ejus necne impedit detegendi causa fuit institutum.

E X P E R.

E X P E R . III.

Virus ex ulcusculo effusum argento vivo puro, e mucilagine gummi Arabici caute et diligenter extincto, admistum. Variis corporis partibus, quibus incisa fuerat cuticula, insitum nullum effectum edidit. Plurima hujus, sed semper frustra, facta sunt pericula.

Nonne hinc cogi potest, mercurium virus venereum iners efficere, et vi sua specifica extinguere? Nonne vis eadem plane demonstratur, cum ulceribus foedis externis applicatur, ea purgat, erosioni eorum ulteriori finem facit, et citius quam spores ad sanitatem reducit? Vix mihi possum temperare, quin hanc in sententiam concedam, cum reproto plerisque in exemplis lue venerea laborantis sanationem non a sputo, perspiratione, aut excretione alvina auctis, pendere, sed mercurio in systemate accumulato et retento, pro rata ratione, respondere videvi. Exemplum hujusmodi luculentissimum

in

in operibus clari Wisemann chirurgicis reperiundum, ubi virum generosum syphilide gravissima et inveterata conflictantem libris unguenti mercurialis fortioris tribus dimidioque inunxit ; nullum tamen, vel parcifsum, licet alia e mercurio praeparata eodem tempore non parum liberaliter ei danda curaverit, sputum, vel quamlibet aliam evacuationem, valuit movere. Aegrotus tamen e morbo emersit, et ex toto convaluit.

HISTORIA MORBI.

Prima luis venereae signa in parte, cui virus fuit admotum, plerumque se ostendere solent. Ea autem, quae ab eo urethrae vaginaeve applicato proficiscuntur, et gonorrhoeam, uti appellatur, constituunt, prius referentur ; deinde ea, quae virus per lymphatica sistema ingressum excipiunt, et luem inveteratam syphilidemve, uti vocatur, subesse testantur.

Priore

Priore in exemplo, impurum post coitum viginti quatuor horis nonnunquam, plerumque vero quatuor, quinque, sexve diebus, prima morbi signa apparere incipiunt. Ali quando, sed rarissime, post tres hebdomadas oriuntur.

Urethra virili affecta, pruritus circa glandem insolitus fentitur, quae aliqua ex parte tumida, et, praeter consuetudinem, dura, cum rubore partis ejus extremae parvulo, evadit. Ostium urethrae quoque solito a pertius esse videtur, et paucis in exemplis testiculos sibi quasi rotari notat infectus. Brevi postquam haec signa se ostenderunt, guttula materiae, muco fano magis albae, ex urethra exprimi potest, quae parietes ejusdem propemodum conglutinat. Materia albida increscit, et inflammatio circa urethram extremam evidentior evadit. Haec per totam suam longitudinem plerumque nunc tenditur et durescit, lacunis interea tumefactis, et pene quasi stringeretur, potissimum dum erigitur, sensum habente. Quod ex urethra profunditur, id quantitate auge tur,

tur, tenuius fit, et non amplius tenax est, colore flavum aut subviride. Nunc rubor urethram extremam perpetuus occupat. Inter urinam evacuandam urethra distensa, saepe dolet. Ostium vero hujus versus, ob vim urinae descendantis stimulatricem, dolor gravissimus est, et rubor modo comprehensus protinus post urinam redditam augetur. Dum penis tentigine afficitur, ne urethra extendatur inflammatio cavet. Igitur hoc tempore coles summo cum dolore deorsum incurvatur, qui, si ventrem versus elevetur, augetur. Quae irritabilitas per hoc morbi stadium adest, ea cur tentigo oriatur saepe in causa est, praesertim dum in lecto cubatur. Somnum nonnunquam adimit, vel aegrotum expergeficit, et ut semen absque voluntate excernatur aliquando facit.

Materia nonnunquam tenuissima est, vel sanguine tingitur; omnia inflammationis signa graviora sunt, et aegrotus stranguria tentatur. Quinetiam praeputium extremum aliquando inflammatione corripitur, et reduci nequit, quod *phymosis* appellatur; vel

pone glandem retractum rursus induci non potest, cui nomen inditur *paraphymosis*. Rebus ita se habentibus, inflammatio strictura augeri potest, et gangraena sphacelusque moveri. Si praeputium universum tumore oedematofo afficiatur, *phymosis* quoque vocatur. In omnibus his exemplis, praesertim in duobus posterioribus, ulcera periclitantur oriri.

Hoc modo inflammatio per unam alteramve hebdomadam increscere pergit; sed curationem recipit naturalem; namque secretio mucī adaucta virus venereum aequa cito, ac formatur, abluit, donec e corpore tandem ex toto expellatur. Dum hoc vero peragitur, signa in aliquantum temporis propemodum immutata manent. Posthac gradatim decrescunt. Tentigines rariores, nec tantum doloris movent. Inflammatio minor, et minus doloris excitat urinae excretio. Quod ex urethra profluit, id crassius, magis album et tenax evadit, et quantitate gradatim imminuitur. Modo copiosius, modo parcus excernitur ad extremum,

et

et portiunculae muci, speciem fibrarum aliquam prae sese ferentes, urinae miscentur. Fluxus tandem cessat, et signa inflammationis sensim decrescentia aegrotum relinquunt.

Viro ex urethra expulso, secretio aliquot in exemplis, per menses, vel nonnunquam annos pergit; parcior, crassior, magis alba, minore inflammatione stipata, ad extremum plerumque sponte decedens. Vel, non sublato et extinto viro, signa manent, quantum minore cum inflammatione plerumque, quam sub initium. Vel ulcera oriri, virus absorberi, luesque venerea excitari possunt, praesertim cum aliquid recens inflammationem movere valens corpori applicatur, cum morbus inveterat, vel mucus infectus glandem inter et praeputium diu manere permittitur. Quinetiam, nonnullorum judicio, absorptio absque ulcere incidere potest. Cæterum rem ita sese habere nondum compertum habemus.

Si virus admovetur vaginae et urethrae muliebri, a calore, pruritu, molestiaeque sensu,

su, partes circa genitales incipit m̄orbus. Haec subsequuntur ostii urethrae ejusque viciniae rubor, se ad introitum vaginae diffundens, fluxus humoris supra depictum omnino referens; dolor, saltem plerumque, cum urina excernitur, cum partes inter sedendum pressura afficiuntur, cum ambulatur, vel cum vagina distenditur. Morbus eundem progressum finemque, quem in mari bus, habere consuevit, praeterquam quod signa, postquam menstrua provenerunt, non nunquam ingravescunt. Si vaginam solam invadat, per quam leves saepe sunt inflammationis notae, vel, si sub initium se ostendunt, decedunt, adeo ut aegrota vix ullum aliud incommodum quam fluxum queratur.

Gonorrhoea, vel humoris e partibus externis profusio, rarissime incidit. Cum accedit, a rubore partis laborantis, glandis ex. gr. et tumore incipit. Superficies ejus crusta albida aphthas reddente cooperitur, et deinde materia profusae ex urethra similis ex ea exudat, inflammatione sub initium incre-

increcente. Virus autem gradatim abluitur, et progressus et finis a supra positis nihil parumve differunt.

Insuper, in oculis et naribus potest oriri gonorrhœa, cuius signa, quantum partis diversitas patitur, supra tradita referunt.

Cum gonorrhœa diu manet, partis, unde humor profunditur, praefertim urethrae virilis, strictram nonnunquam facit, adeo ut urinam reddendi difficultatem, magno dolore saepe stipatam, lotio in modum rivuli contracti, vel guttatim tantum effluente, soleat movere. Aliquando quoque vesicae nonnihil inflammationis, et ad se contrahendam proclivitatem infert, unde, urethra se eodem tempore constringente, transitus lotii multo etiam difficilior efficitur. Hic autem affectus per mucum ex his partibus liberaliter secretum plerumque tollitur, sed eodem modo, quo inflammatio vesicae vulgaris, potest finiri. Saepe nullum hujusmodi vitium oritur, vel, si revera invadit, sponte decedit, et urinae difficultas et dolor annos per aliquot manent.

Strictura

Strictura similis urethram foemineam, sed multo rarius, et vaginam quoque infestat, distensionem hujus impediens. Quietiam praeputium virile extremum invadit, et, omnibus aliis signis sublatis, ne retrahatur cavit.

Partes quoque vicinae, velut testes, glandulae inguinales, et perinaeum interdum, inflammationi objiciuntur, praesertim si exercitatione nimia, pressura graviore aliisve, quae vim stimulantem habent, irritentur.

Cum testiculos inflammatio corripit, ut folet, tumescunt, dolent, calescunt, durescunt, rubescunt, &c. et quod ex urethra profunditur, id eodem tempore plerumque imminuitur, aut ex toto cessat. Haec autem curationem naturalem recipit; namque, si vel sponte vel arte restituitur fluxus, plerumque decedit. Tumor vero testiculorum et durities longum per tempus saepe manent, reliquis signis sublatis.

Glandulae inguinum lymphaticae, licet nihil viri absorptum fuisse videatur, cum nihil noxae inflammationem subsequatur, nonnunquam

nunquam inflammantur. Hoc, ob irritationem urethrae, cum iis aliquo modo communicatam incidat necesse est.

Si virus alii parti, quam urethrae aut vaginae, applicatur, et quod syphilis luesve venerea nominatur movet, primum oriuntur inflammatio parvula erysipelatosa, et pruritus glandis, praeputii, labiorum pudendi, vel cujuslibet alijs partis affectae. His succedit una pluresve exiguae pustulæ, humore pellucido, qui nonnunquam albus evadit, repletae. Hae rumpuntur, et ulcus parvulum, semet vero undique diffundens, formatur, aliquando dolens, plerumque inflatum, tactus impatiens, fundo inaequale, sanatu difficile, cujus margines duri sunt, tumidi, colore cinerei, crustis albidis operti. Si morbus, quod rarissime evenit, ab ulcere urethrae, sine gonorrhœa, incipit, pars affecta tactum refugit, urinam excernendi desiderium est, inter eandem reddendam, postve redditam, dolor, et exiguae humoris tenuis et aquei quantitatis exudatio.

Haec

Haec signa nonnunquam excipit gonorrhœa.

Si ulcus vulnusve inficiatur; inflammatur, semet cum teneritudine vel dolore spargit, superficie inaequale, crustis albidis saepe obductum, marginibus cinereum.

Si pueri à matribus inficiantur, aliquando cum signis morbi, qualia sunt cutis inflammations, cuticula nulla vel tenuissima, gonorrhœa, &c. in lucem fuscipiuntur. Plerumque vero nullae complures in dies notae se ostendunt. Hebdomada tamen aut circiter, papulae cum crustis subfuscis, in ulceris vertentibus, circa angulos oris aliasve capitatis partes, vel universum per corpus, oriuntur.

Ex ulceribus, ubicunque sint sita, virus per lymphatica absorbetur, et dum transit, ea inflamat, ruborem, duritiem, et dolorem, per cursum, quem ad primam glandulam lymphaticam tenent, manifestissime movens. Saepe tamen nullum hujusmodi signum se in conspectum dat.

Sive

Sive hoc incidat, sive res se aliter habeat, primarum glandularum, per quas transeunt, inflammatio, quae *bubo* appellatur, frequenter excitatur, qui, cum partes genitales plerumque primum inficiantur, in inguine saepissime oritur. Sub initium, durescunt et tumescunt glandulae, tactus intolerantes. Haec signa increscunt, et dolore, praesertim inter movendum, rubore cutis, aliisque, quae inflammationem designant, stipantur. Bubo autem modo celeri, modo, ut in aliis glandularum inflammationibus^t incidit, tardissima suppuratione, modo schirro, rarissime gangraena finitur. Quod ulcerus oritur, id aliquando periculo non vacat, quod serpere sinusque formare pericitatur, quodque vasis sanguiferis amplius est vicinum. Sanatu saepe difficile.

Cum virus venereum sistema ingreditur, instammationes plerumque, et ulcera in aliqua corporis parte, saepissime in membrana mucosa vel cute, excitare consuevit. Modo complures per annos innocuum manere, modo se nunquam ostendere, ab auctoribus

†

D

dicitur.

dicitur. Huic vero fides non temere habenda. Aliquandiu plerumque fuit absorptum, antequam ulla signa oriuntur.

Si in glandulis oris fauciumve secernatur, membranam has partes succingentem inflammatione afficit, et ulcera rauitate, dolore, difficultate devorandi, &c. stipata, facit. His autem ulceribus serpentibus, ossa cariosa evadunt, et, palato consumpto, itinera os inter et nasum patefiunt, et nasum ipsum, cartilaginibus ejus et ossibus quoque exesis, subsidit.

Si in cute secernatur, maculas subruberas, purpureasve, vel exanthema crustis subfuscis, quae in ulcera saepe vertuntur, obducum movet. Haec, si incidunt in volis, plantis, anumve circa, speciem fissurarum in cuticula prae se non raro ferunt, materialm tenuem magno cum dolore exudantia.

Si in oculis secernatur, inflammatio et exulceratio cum caecitate ibi oriuntur; si in auribus, eadem inflammationis signa, quamquam minus crebro, cum surditate, ossumque iis propriorum carie, moventur.

Quamvis

Quamvis partes genitales non primum fuerunt infectae, morbus ibi nonnunquam et circa anum, sed rarius, appetet.

Ulcera pulmonum et phthisis interdum oriuntur. Aliquando quoque tument lymphatica aliaeque glandulae.

Si morbus inveterat, periosteum et ossa invadit, et dolores iis infert, qui potissimum aegroto molestiam faceant, corpore calefacto, et per naturalem paroxysmum febris vespertinum, quem evidenter efficiunt, simul cum eo mane versus, orto sudore, decedentes. Periosteum tumet et durescit. Ossa tumere videntur, et interdum revera tument. Nonnunquam, potissimum media durissima parte, mollia vel cariosa fiunt, et, medulla affecta, acerrima reddit, et ex iisdem extremis effusa, adeo fragilia redundunt, ut, vi levissima iis illata, frangi periclitentur. Interdum antequam virus systema ingreditur, vel quolibet alio morbi tempore, oriuntur tubercula in glande, praeputio, labiis pudendi, ano, &c. vel ubi ulcera fuerunt, vel ubi se nunquam ostenderunt, figura

gura diversa, plerumque rubra et mollia, nonnunquam dura et callosa, raro dolentia.

Alia, denique, corpora morbo multos per annos obsistunt, progressumque ejus retardant; alia, contra, ei brevi succumbunt; adeo ut aegroti miserandi hec tica vel hydrope correpti fato concedant.

NOTÆ, QUÆ EUM AB ALIIS SUI SIMILIBUS SECERNUNT.

1. Gonorrhœa virulenta ab ea, quae benigna, est vel a viro venereo non proficiuntur, distinguatur necesse est. Nec hoc præstare difficile. Signa enim et causæ morborum a se invicem longe discrepant. Quod in hac ex urethra profunditur, id quantitate plerumque multo minus est, et nunquam contagiosum, ardor urinæ levior, inflammatio minus gravis. Haec quidem frigore, exercitatione immodica, similibusque intendi et

et aequa concitata, ac in specie virulenta, reddi potest; sed sponte paucis diebus semper decedit, nec diu post eam secretio aucta solet manere. Insuper, species benigna a causis, quae virulentam non possunt move-re, universa nempe debilitate, purgantibus valentioribus, exercitatione parum modica, venere frequentiore, sed pura, frigore, potatione nimia, &c. evidentissime profluit.

2. Summa gonorrhoeam inter et fluorem album similitudo intercedit. Dignosci tamen possunt. Gonorrhœam enim recen-tem comitantur ardor urinae; labiorum naturalium externorum partiumque vicina-rum tumor, inflammatio, et non raro exul-erationes leviores; doloris nonnihil inter-coeundum. Haec autem omnia in mulie-ribus, quae leucorrhœa conflictantur, raro semet ostendunt. Quinetiam, fluore albo laborantes dolore lumborum magis minus-ve acuto tentantur, quem gonorrhœa re-cente correptæ fere nunquam queruntur. Cum gonorrhœa vero inveteravit, magis difficulter unum morbum ab altero distin-gues.

gues. Secernere tamen valebis, si memoria teneas signa inflammationis gonorrhœam semper sub initium, licet postea in stillicidium perpetuum, ex toto magnave ex parte inflammatione destitutum, mutet, comitari; nunquam vero fluorem album praecedere. Praeterea, quod in hoc profunditur, id multo copiosius; excretio enim in stillicidio admodum modica. Insuper, magna corporis debilitas et relaxatio, vitia ventriculi, &c. mulieres fluori albo oportunias efficiunt, et, nisi his praecedentibus, morbus, nunquam accedit. Absque vero ullo hujusmodi seminio gonorrhœa invadit, quam, viribus nondum aequa ac in leucorrhœa convulsis, stillicidium confuevit excipere. Si denique ulceræ, quae utrique morbo sunt communia, in vagina oriantur, signa luis inveteratae, si morbus a venere impura fuerit profectus, in reliquo systemate brevi se evidenter ostendent; si vero, contra, morbus sit leucorrhœa, nihil hujusmodi timendum, nihil hujusmodi incidere potest.

Si

Si morbus uterque, quod accidit nonnunquam, eodem tempore invaserit, unus ab altero nequit secerni, nisi veram mali natum investiganti, salutis desiderio icta, mulier ipsa praeluceat.

3. Ulcuscula venerea, quae a coitu recente impuro fuerunt profecta, et sede et signis ab aliis ulceribus non parum manifeste distinguuntur. Partes genitales, labia et loca vicina, papillas mammaeque mulieres, ubi ulcera, saltem serpentia, rariora, tenent. Papulas, sub initium, miliariae proprias referunt, brevi eminentiora evadunt, et parvas vesiculos formant, quae ruptae modo humorem tenuem et aqueum, modo materiam crassiorem et flavam, effundunt. Marginibus plerumque dura sunt et dolent, et partes vicinas erodendo semet uniuersique diffundunt.

Quantum ulcera spectat, quae a lue inveterata oriuntur, ab aliis omnibus fere apertius etiam secernuntur. Super ossa, ea potissimum quae musculis tenuissime sunt obducta, solent sedere, marginibus inaequalia,

lia, et quasi denticulata, nec non aliqua ex parte callosa. Speciem non raro admodum singularem prae fere ferunt, in formam quasi calicis excavata, fundo plerumque angusta et contracta, marginibus gradatim se dilatantibus, donec ad oram extremam usque perveniat. Res saltem plerumque, nisi ossa cariosa ad fundum sint sita, ita fere habet. Quod si incidit, materia fungosæ molestæ fere replentur. Non multum doloris habent, hoc a canceris discrepantia, qui calore ardente et doloribus lancingantibus stipari consuerunt. Nonnullis tamen in exemplis res se aliter habet. Quod ex omnibus hujusmodi ulceribus profunditur, id prius tenue est, deinde ad extremum magis tenax et viscidum, quam pus bonum et laudabile evadit, colore singulare et subviridi-flavum, odorem perquam gravem, a foetido putridoque vulgari tamen differentem, emit-tens.

4. Bubones hujus morbi proprii ab iis, qui a fonte non venereo profluunt, debent dignosci. Quin vero a concubitu impuro proficiscantur,

proficiscantur vix ambigi potest, si tumores artuum inferiorum et abscessus non sint, si gonorrhoea, praesertim ulcuscula, praecesserint, licet lymphatica haec inter et illos intercedentia tumore et distensione videantur carere.

5. Qui dolores lue venerea conflictantes noctu invadunt, ii ab arthritidis et rheumatismi propriis non difficulter secernuntur. Namque venerei ossa media partesque horum solidissimas occupant, aliis morbi signis antecedentibus, plerumque substantibus. Arthritici, contra, cum affectionibus ventriculi aliarumque partium internarum saepe alternantes, ex intervallis, articulos minores; rheumatici, ab externa, et plerumque evidente causa, nempe frigore, proficiscentes, tractumque muscularum sequentes, pyrexia fere semper praecedente, saepe comitante, majores infestant. Hi quoque, febre absente, calore lecti vel alio externo levantur. Caeterum venerei eodem adauerti magis acriter urgent.

† E C A U S . Æ,

C A U S Æ.

Alios aliis ad hunc morbum procliviores esse, neminem potest latere. Nonnulli enim veneri libidinique dediti multos per annos morbi immunes vivunt, quanquam coitum impurum nunquam refugiunt, sed, periculo contagionis semet, quoties occasio exoptata subministratur, scientes objiciunt. Hosne adversus vim morbi tutos reddit cuticula crassior et firmior, absorptioni inimica? Alii, contra, iisque longe plures, non citius cum impura rem habent, quam in morbum incidunt. Quidnam vero hos illis morbo opportuniore efficiat, in primis dictu difficile. Hocne praefstat vis lymphaticorum absorbens major, qua virus venereum in sistema facilius devehitur, vel irritabilitas corporis praeter consuetudinem magna, unde fit ut acre virus inflammationem in eo, et reliqua signa morbi propria, certius possit movere; vel cuticula tenuior?

Quae

Quae causa morbum constanter excitat, ea est virus venereum. Aliae ab auctori- bus nonnullis idem praestare dicuntur. Si vero eas attentus examinaveris, adeo ri- culas esse reperies, ut omnino sint indignae, quae serio excutiantur.

Causa proxima est viri ipsius acrimonia, cuius natura nondum satis intellecta; ab hac enim omnia et gonorrhoeae et luis sig- na proficiisci videntur.

PAUCOLORUM E SIGNIS EXPLICATIO.

i. Quod nostram attentionem primum sibi vindicat, id est, humoris ex urethra pro- fusio. Hanc haud dubie facit virus vene- reum urethrae superficie interiori applica- tum, quod e particulis acerrimis conflatum, si ex effectibus saltem quos edat liceat judi- care, ei stimulo non esse non potest. Quae- cunque autem pars corporis humani stimu- lo insolito afficitur, eam versus semper fit cursus

cursus humorum adauctus. Exemplum hujusmodi praebent vis frigoris stimulatrix membranae Schneiderianae, vel cuilibet alii corporis parti applicata, emetica in ventriculum, purgantia in intestina agentia. Has partes versus enim brevi fit impetus humorum solito major, glandulae mucosae irritantur, et quantitatem humoris proprii praeter consuetudinem magnam secernunt. Quod excernitur, id quoque solito acrius evadit, ut profusio e membrana nares succingente in catarrho facta evidenter demonstrat. Ignitus minime mirandum, virus venereum urethrae admotum secretionem adauctam movere, et hanc praeter consuetudinem acrem evadere. Hoc vero, non absque causa gravissima forsitan, gonorrhoea virulenta substante, viro, humores quos glandulae urethrae numerosissimae secernunt, natum in suam mutantib; tribui debet. Qua ratione virus urethram ingrediatur, hic quaeri potest. Super hoc alii in alias sententias iverunt. Quidam per glandem, ut per spongiam, in urethram penetrare credunt. Membranae

branae vero superficiem glandis, externam inter et urethram intercedentes, ne hoc incidat haud dubie carent. Nonnulli vascula glandis lymphatica ingressum per ea ad urethram devehi opinantur. Si vero absorbentia intret, non alio, ut neminem rei anatomicae peritum fugit, quam ad glandulas inguinales deduci potest; has enim versus omnia vascula glandis lymphatica cursum plane tenent. Virus urethram ipsam, ut aqua oleumve duas superficies vitreas planas sibi invicem applicatas, ad certam altitudinem saltem attractione scandit, vel eidem extremae admotum, humores urethrae natura et indole sua impertiendo, et ita semet sursum propagando, ingredi in primis probabile.

Quo omnia causam excretionis aductae spectantia ad finem perducamus, virus, quounque modo in urethram immittatur, ejusdem exulcerationem, ut incisiones virorum celeberrimorum Morgagnii et Monroii tenuantur, non raro facere, et hoc modo quoque ad secretionem aductam movendam, et longum

longum per tempus continuam reddendam, non parum conferre posse, habetur comper-tum.

Rationem, cur profusio ex urethra, viro excretione adaucta medicamentisve sublato, saepe diu maneat difficulterque tollatur, probabilem saltem reddere non admodum difficile videtur. Si cursus humorum ad aliquam partem semel fuerit factus, ei in posterum aegre obsisti confuevit. Exempla, quae hoc probent, haemorrhagiarum et pro-fluviorum Ordines Culleniani quotidiana suppeditant.

2. Hic morbus, praesertim cum gravior et diu manet, stricturas urethrae et carunculas aliquando relinquit. Illae, ab exulce-rationibus et cicatricibus postea inductis, quae partem vel angustiorem vel eminen-tiorem, quam ante, ut in locis externis, quibus cicatrix fuit inducta, incidit, relin-quere possunt, profici sci videntur. Hae a tunica urethrae interiore, per longitudinem morbi nimis relaxata, plicasque formante, quae descensum urinae magis minusve im-pediunt,

pediunt, forsitan oriuntur. Quinetiam interdum forsitan eandem per tunicam, inflammatione crassiorem et duriorem redditam, possunt excitari; namque Monroius celeberrimus duo vel tria exempla vidit, ubi aliquid cristam galli referens excreverat.

3. Gonorrhœa non raro testiculis tumores infert. Alii alii causae hoc tribuendum putarunt. Vir celebris Astruc, et multi alii, materiam morbificam ab urethra ad testes aliquo modo transferri credunt, hoc forsitan magna ex parte inducti, quod fluxum ex urethra, tumore testiculorum oriente, sistere notant. Quo modo vero ad testes potest devehiri? Ubi sunt vascula vel ductus, qui hoc possunt praestare? Si absorbentia ingrediatur, non ad testes, sed ad glandulas inguinum proprias, ut supra comprehendsum, deducetur. Nonnulli sibi in animum inducunt, ostia vasorum deferentium intrare, et retro ad testiculos tendere. Qua vero ratione viam sibi per canales adeo tortuosos reperire et patefacere valet? Denique, per lymphatica, qua solum ire potest, sistema ingressam

ingressam esse, ponas testiculi affici non multum periclitarentur; paucissima enim exempla se ostendunt, ubi lues testium excitat tumores.

Solam hujusce phaenomeni explicacionem probabilem et rationalem in medium primus protulit Monroius, anatomicorum hujusce seculi facile princeps. Gonorrhoeam ipsam et testium tumorem ab eadem causa, inflammatione nempe urethrae et irritatione, proficisci contendit. Quae argumenta hoc probandi consilio adhibet, ea sequuntur, et plenissimam haud dubie opinioni ejus fidem conciliant. Si cuilibet irritamento praeter confuetudinem magno, calculi exempli gratia descensui, objiciatur urethra, tumor testiculorum periclitatur oriri. Chirurgus in primis celebris Samuel Sharp, dum operationem lithotomicam lateralem depingit, testiculos nonnunquam tumere notat. Si irritatio autem urethrae, &c. hoc in exemplo, tumorem testiculi excitat, quid obstat quo minus eadem causa eundem in gonorrhoea effectum edat? Immo eundem

haud

haud dubie saepe edit, cum morbus in urethram altius descendit, partem membranae ejus prope ostia ductuum seminiferorum inflamat, vasa deferentia extrema claudit, et irritationem per ea ad testiculos usque diffundit. Ita tumor testiculi eodem modo irritationem urethrae, quo lachrymatio oculi, quo aucta salivae excretio oris, subsequitur. Quod, denique, omnem super causam tumoris testiculi dubitationem tollit, est, quod tumor vas deferens primum occupat, et per epididymidem ad testem retro tendit. Si vero a materia venerea contagiosa mafiae sanguinis admista oriaretur, glandula secernens prius, ductus deinde virus excernens, afficeretur. Quinetiam, cum tumor decedit, primum ad vas deferens, deinde in epididimide, denique in teste imminuitur.

4. Qui bubones in lue incipiente oriuntur, ii haud dubie a viro per lymphatica absorpto, ad glandulas devecto, et eas inter transendum irritante et inflammante, pendent.

5. Quae exulcerationes et erosiones partium corporis diversarum, et laxiorum et
† F solidarum,

solidarum, incidunt, eae ab acrimonia viri
plane evidenterque proficiscuntur. Qualis
autem hujus acrimoniae vera natura sit, ex
toto ignoramus. Nec exponere possumus,
cur ex magna locorum copia fauces sibi po-
tissimum deligat, ubi plerumque effectus
suos perniciosos primum ostendat. Nihil
luminis difficultati offundit affirmare a glan-
dulis plurimis virus ibi liberalius, quam ali-
bi, secernentibus oriri. Responderi enim
potest, cur non intestina, ubi glandulae vix
minus sunt numerosae, aequem mature inva-
dit. Nec denique ratio cur ossa firmissima,
non maxime laxa, infestet, bona reddi valet.
Haec vero et multa similia sagacitati scrip-
torum, qui nos sequentur, illustranda relin-
quamus oportet.

E V E N T U S.

Hic plerumque nostro seculo faustus.
Exemplo in nullo fere, cum multos per an-
nos hoc morbo conflictati ad extremum
convaluerint,

convaluerint, licet admodum longe sit pro-
vectus, et corpus miserandum in modum
foedaverit, salutem aegroti, saltem ejus le-
vamen, desperandum ; sed ad mercurium,
medicamentum illud praestantissimum, quod
tot millia faucibus Orci eripuit, et mortem
infatiabilem praeda sua toties insperato spo-
liavit, confugiendum.

RATIO MEDENDI.

Hanc duas in sectiones dividere decrevi-
mus. In priore, de gonorrhœæ, in posteri-
ore, de luis curatione, quam maxime presse
agemus, theoriam morbi fusius forsitan,
quam justi dissertationis hujusmodi limites
patiuntur, jam executi.

I. Consilia autem gonorrhœæ medendi
tria esse videntur :

i. Viro, cuilibet corporis parti admoto,
antequam

antequam notae inflammationis ullaem semet ostenderunt, occurrere.

2. Signa inflammationis tollere.

3. Tonum partibus morbo debilitatis reddere.

Hic morbus haud dubie, in morem aliarum inflammationum loco propriarum, sponte aliquando decedit, nihil incommodi post se se reliquens. Semper tamen agendum est, ut, si fieri possit, ex toto praecaveatur, et spatium solitum habere non permittatur. Igitur ea sunt dicenda quae consilio 1. respondent, vel viro, antequam inflammationem movit, occurrunt. Haec autem duplia sunt, quae virus, cum id contingere possunt, extinguere putantur, vel talem excretionem ex urethra muci faciunt, qualis ad virus una secum expellendum accommodari videtur.

Prioris autem generis sunt e mercurio praeparata, unguentum, ex. gr. mercuriale, vel corrosivi sublimati ex aqua destillata solutiones. Illud partibus genitalibus ante coitum, postve eundem, diligenter illitum, morbo

morbo venienti potenter occurrere creditur. Et nonnulla quidem exempla novi, ubi haec morbum praecavendi ratio veneri promiscuae in primis deditos aliquot per annos, et gonorrhœae et luis immunes servare visa. Namque, per incuriam neglecta, in eas aequaque cito et facile, ac in alios, morbus invasit. Hae in urethram post coitum impurum immissae non tantum morbo feliciter occurserunt, sed eundem, ut multi quibus summa fides potest haberi testantur, postquam prima, a quibus incipere solet, signa accesserunt, depellunt. Cum solutiones hujusmodi parantur, singulis aquae unciis granum mercurii corrosivi unum tantum adjiciatur. Si hoc modo confectæ urethram irritant, et inflammationem movere periclitantur, quantitas mercurii etiamnum imminuatur. Quod vero in inflammationem multum potest, est, solutionibus modo positis adhibitis, paulum tepidae in urethram protinus injicere. Nonne utilitas mercurii hoc modo adhibiti potestatem virus extinguendi singulariem ei inesse demonstrat?

Ex

Ex his autem, quae excretionem muci adauctam movent, et hoc modo ad virus ex urethra expellendum conferre putantur, praecipuum est lixivium causticum. Reliqua hoc genus praeteribimus, studio brevitatis adducti. Ratio autem lixivium usui accommodandi est, unam hujus forsitan vingt aquae partibus adjungere. Solutio adeo fortis sit, ut gustanti aliquantum calida videatur. Post coitum in urethram, cum primum fieri potest, immittenda. Secretionem muci pauculos in dies excitat copiosam, quae ut virus una cum muco expellatur facere creditur. Quod haud dubie non nullis in casibus praefstat. Cum vero gravissimam inflammationem nonnunquam moveat, et non pro certo morbo venienti semper occurrat, usu ejus ex toto abstinere, et fiduciam nostram in mercurii corrosivi solutione, quae remedium multo tutius et certius esse videtur, collocare praestare judicamus. Unum e praeparatis e mercurio, calomelas nempe, in pulverem quam maxime subtilem redactum, quod a multis, potissimum

tissimum a chirurgo celebri Londinensi, virus gonorrhoeae et recentis et provectionis extinguendi, et non absque successu prospero, et sine ullis, ut ferunt, sequelis periculosis, consilio adhibetur, memorare sumus oblii. Hoc alicui liquori, aquae forsitan, accuratissime admiscent, et in urethram immittunt. Denique, impurum post concubatum, urinam reddere, eaque omnes partes genitales diligenter lavare praefidium sanitatis minime contemnendum esse videtur. Nulos liquores vi astringente, praesertim fortiore praeditos, in urethram, quanquam hoc facere moris multorum esse novimus, injiciendos putamus; tantum enim absunt ut ostia lacunis, quod nonnulli sibi persuadent, constringant, et ita virus intrare prohibeant, ut, contra, idem ingressum expelli impediant, et ad luem movendam magnopere conferant. Haec de primo consilio dixisse sufficiat.

Confilio

Consilio II. respondent remedia sequentia:

1. Sanguinis detractio. Haec, morbo minus gravi, non necessaria. Notis vero inflammationis magnis, et diathesi phlogistica invalescente, ad eam decurrentum, et pro gravitate signorum reiterandum. Loco propria generali praestare videtur, urgentibus phymosi et paraphymosi.

2. Cathartica. Haec semper leniora esse debent, qualia sunt manna, tremor tartari, aliquique medii sales, oleum ricini, &c. Alvus tantum soluta teneatur, et non saepius semel bisve de die moveatur; hoc enim modo inflammationi satis efficaciter obfisti solet. Purgantibus valentioribus caute abstineatur, quae cursum humorum rectum extremum versus faciendo, irritationem urethrae retrorsum proprius vesicae cervicem ducere, et ita, fluxu ex toto cessante, tumorem testium, luemve ipsam, excitare periclitantur.

3. Diuretica. Horum utilissimum hoc in morbo est nitrum, quod et corpus refri- gerat-

gerat et urinam movet. Ex aliquo potu mucilaginofo, soluto ex. gr. gummi Arabico, dissolvatur, ut, ipso refrigerante et inflammationem imminuente, vehiculum urethram ab acrimonia urinae defendat.

9. Narcotica. Haec aliquando necessaria fiunt, dolore et tentigine noctu graviter urgentibus, et somnum aegrotanti adimentiibus.

4. Applicationes topicae. a. Cataplasma. Haec fere solum necessaria evadunt, si magnus penis tumor, phymosis, paraphymosis, &c. infestare incipiunt. Rebus ita se habentibus, e saccharo saturni, extractove Gouardi ex aqua soluto, componantur, quae emollientibus praestare videntur.

b. Fomenta. Haec non tantum partes ab immunditia immunes servant, et exulterationibus externis occurruunt, sed viribus relaxantibus inflammationem urethrae non parum imminuunt. Penis in poculum profundius et tepida repletum in semihoram, aut circiter, bis terve singulis diebus, demittatur. Hoc dolorem tensionemque partibus

laborantibus mirum in modum demet, et ut aegrotus urinam facillime excernat saepe faciet.

c. Liquores in urethram immittendi. Dum inflammatio urethrae invalescit, liquores etiam blandissimi in eam injecti, tanta est ejus irritabilitas, signa graviora reddere periclitantur. Quantum igitur morbum intendere possunt liquores refrigerantes et adstringentes in fistulam urinae, ut nonnulli suadent, immissti? Praeterquam quod vim inflammationi addunt, nonne, si supra inflammationis locum ascendunt, virus secum ferre, idque in corpore altius et firmius infidere cogendo, magnopere nocere possunt? Hoc haud dubie frequenter praestant. Namque usum eorum non tantum tumor testiculorum, sed bubones et lues quam maxime inveterata, non raro subsequuntur. Igitur, si ulli hujusmodi liquores omnino adhibeantur, quam maxime lenes et blandi sint, ut oleum omnis rancoris expers, et urethra, dum immittuntur, ne altius propellantur, supra locum affectum dili-

genter

genter comprimatur. In locum autem omnium horum, substitui debent liquores emollientes vel mucilaginosi liberaliter epoti, qui quantitatem urinae augent, acrimoniam ejus obtundunt, et urethram materia venerea, quae in ea latet, efficacius, quam quilibet liquores in eam immisfi, liberare valent. Nonne, denique, fomenta externa inflammationem multo magis, quam ulli liquores interne adhibiti, qui tantum parce in urethram injici possunt, levare consue- runt, et igitur hos nulla ex parte necessarios efficiunt?

d. Regimen antiphlogisticum. Hoc omni morbi tempore summa cum cura adhibetur. Cibus aegroto talis sit, qualis facile concoquatur, refrigeret, et nulla ex parte stimulet. Potus mucilaginosus sit, nihilque spirituosi fermentative liquoris contineat. Exercitationem aeger refugiat, quiete fruatur, venere et omnibus, quae libidinem possunt movere, abstineat. Procul absint universa quae stimulo corpus animumve afficiunt.

Si inflammatio testiculi oriatur, ei succurrunt sanguis, magis minusve pro gravitate signorum, liberaliter et per lanceolam et hirudines detractus, cataplasmata e solutione sacchari saturni debili composita, positura horizontalis, emetica. Qua ratione postrema agant ignoro; sed fluxum ex urethra saepe restituunt, qui ad tumorem testiculi solvendum non parum confert.

Confilio III. respondent tonica, ut cortex Peruvianus, balneum frigidum, &c. adstringentia, ut alum, balsamum copaibae liberaliter adhibitum, solutiones vitrioli albi et similiū in urethram immissae. Namque hoc tempore, viro ex toto expulso, et omnibus aliis signis praeter stillicidium merum sublatis, nec tonica nocent, nec injectiones adstringentes effectus pravos edunt, saepissime utiles, fere semper innocuae.

Si per morbi decursum in urethra carunculae oriantur, et, reliquis signis sublatis, maneant, praeparatis, quæ Anglice *bougies* appell-

appellantur, suppressandae et sanandae. Si compositionem eorum novisse velis, opera chirurgorum ingeniosa adeas.

Hae rationes gonorrhoeae medendi plerumque optime cedunt. Non nihil tamen mercurii, ne pars viri fuerit absorpta, omni in exemplo debet adhiberi.

Quantum luem spectat, consilium medendi unicum est, actioni viri in systema ulteriori occurrere, idemque extinguere. Quod solum vero hoc praestare potest, id est mercurius formis diversis, et magis minusve liberaliter pro natura signorum, adhibitus.

Cum ulcuscula oriuntur, moris multorum est nulla medicamenta externa iis applicare, sed aperta relinquere, et sanationem eorum per mercurium interne adhibitum moliri. Caeterum, ea ad cicatricem quam celerrime perducere videtur praestare; aperta enim relicta fons viri venerei perpetuus evadunt, unde sistema universum magis magisque infici periclitatur. Quae his vero facillime medentur, ea sunt mercurius praecipitatus ruber,

ruber, in pulverem quam maxime subtilem redactus, iis inspersus, et corrosivus sublimatus ex aliquo liquore solutus iis applicatus. Postea linteo, cui aliquantum cujuslibet unguenti communis fuit illitum, tegenda. Hoc modo curata brevi plerumque sanescunt. Unguentum quoque mercuriale fortius idem, quod praeparata modo posita, solet praestare. Quod vero forsitan omnibus e mercurio praeparatis, si ulcerisculis velis mederi, longe praestat, est causticum lunare. Usus vero mercurii internus nunquam interea negligendus; namque, ulcerisculo orto, metus nunquam deest, ne virus absorptum in systema semet diffundat.

Si bubones vel tumores glandularum inguinalium moveantur, eos discutere, non ad suppurationem perducere, expedit. Etenim suppuratione finiti saepe ulcera sinuosa formant, quae non absque summa difficultate sanantur. Quinetiam, ob viciniam vasorum majorum, eos incidere non semper periculo vacat. Eos autem discutiunt, si hoc fieri potest, cataplasmata, quibus aliquantum fac-

chari

chari saturni fuit adjunctum, unguentum mercuriale femori interno, infra glandulas inguinales, applicatum, sanguis per hirudines detractus, &c. Licet ad suppurationem perveniant, et multum puris effundant, non curationem morbi huic profusioni ex toto committendum, sed ad mercurium nihilominus semper decurrentum.

Si virus systema ingressum est, et humores pro certo vitiavit, omnis fiducia nostra in mercurio collocanda. Hic in corpus vel per lymphatica cutanea vel per os invehitur. Cum vero in viam medendi priorem procedimus, et unguentum mercuriale adhibemus, quantitatem in corpus devectam pro certo cognoscere non possumus. Igitur vel excretionem salivaे nimis copiosam repente reddere, vel nimis parcam movere, periclitamur. Nonnulli quidem mercurium hoc modo assumptum non alvum tam facile movere contendunt. Hoc vero dubium esse videtur. Utrum alvus autem necne solutior reddatur, non multum refert; excretiones enim alvinas fere semper opis
est

est nostrae limitibus justis per opium circumscribere. Has ob causas, igitur, usus mercurii internus, quam externus, tutior. Praeparatum, quod vulgo adhibendum, est pilulae ex hydrargyro, e melle quam diligentissime extincto, cui tantum micarum panis, quantum crassitudinem ei idoneam possit comparare, fuit adjunctum, compositae. Hae sumantur, donec gingivae aliquantum tumeant et doleant, et sputum modicum excitetur. Hoc nunquam sit copiosissimum. Immodicum enim non morbo citius aut certius medetur, sed vires aegroto convellit, et multis aliis morbis, qui non alioquin accessissent, fundamenta jacit. In usu mercurii, donec omnes morbi notae fuerint sublatae, et aliquamdiu postea, caute tardeque perstetur. Si pilulae votis non respondebunt, ad alia praeparata confugi debet. Alio enim incassum adhibitò, aliud morbum saepe depellit. Ulceribus substantibus, et cute deformata, solutio corrosivi sublimati plurimum in morbum posse consuevit.

Quinetiam,

Quinetiam, pilulae Plummeri et Æthiopicæ similes in casibus similibus edunt effectus.

Nonnulli quidem ad has confugere dubitant, ne sulphur, in iis conficiendis adhibitum, mercurium reddat inertem. Cum successu vero prospero saepe adhibitæ fuisse probe scio.

Si vires aegroto, quod saepe incidit, incipient convelli, mercurio cortex Peruvianus, et alia tonica, protinus adjungantur, quae tantum absunt, ut actionem mercurii impediāt, ut eam, contra, potentiorem efficiant; namque tonus corporis certus ad efficaciam mercurii promovendam necessarius esse videtur. Si in hanc medendi viam procedatur, vitabuntur plerumque atrophia, phthisis pulmonalis, hydrops, aliquique morbi funesti, qui luem inveteratam nimis frequenter excipiunt.

Si quis fiduciam in decoctis sarsaparillæ, guaiaci, mezerei, &c. collocet, ad ea potest decurri. Actioni mercurii forsitan auxiliantur. Per se adhibita, hac in regione, mor-

bum nunquam tollunt. Quod denique votis omnium optime solet respondere est, quam maximam mercurii quantitatem, cum quam minima cujuslibet generis excretione, in systemate accumulare.

F I N I S.